Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

natus est preextitisse asseverent. Sorte quippe nascentis astrorum ordinem colligari arbitrantur, non astrorum ordinem ab hominis nati die posse mutari. Qua propter si stella illa ex hiis erat que in celo peragunt ordines suos, quomodo poterat discernere quid Christus acturus erat, que nato Christo iussa est relinquere quod agebat? Si autem ut probabilius creditur ad demonstrandum Christum que non erat exorta est, non ideo Christus natus est quia illa extitit, sed ideo extitit quia Christus natus est. Unde si dici oportet, non stellam Christo sed Christum stelle fatum fuisse dicimus. Ipse quippe illi, non illa huic nascendi attulit auxilium.

Omel.

Criso. Non est hoc astronomie opus ab stellis scire eos qui nascuntur, sed ab hora nativitatis futura predicere. Hii autem tempus nativitatis non cognoverunt, ut hinc sumpto initio ex stellarum motu futura cognoscerent, sed econverso. Dicit ergo *vidimus stellam eius*. Glo. id est propriam, quia hanc creavit ad ostensionem sui.

In ser. de epiph.

Aug. Pastoribus angeli, magis stella Christum demonstrat. Utrisque loquitur lingua celorum, quia lingua cessaverat prophetarum. Celos angeli habitant et sidera exornant. Utrisque ergo celi enarrant gloriam dei.

In s. de epiph.

Gregori.

Aug. Et rationabiliter iudeis tamquam ratione utentibus rationale animal, id est angelus, predicare debuit; gentiles vero quia ratione uti nesciebant ad cognoscendum dominum non per vocem sed per signa perducuntur. Quia et illis prophetie tamquam fidelibus, et istis signa tamquam infidelibus data sunt. Eisdem gentilibus Christum cum perfecte esset etatis apostoli predicant, eumque parvulum et nondum per humanam oris officium loquentem stella gentibus denuntiat, quia nimirum rationis ordo poscebat ut loquentem iam dominum loquentes nobis predicatores, et necdum loquentem elementa muta predicarent.

In s. de epiph.

Aug. Ipse etiam Christus est expectatio gentium. Declarabatur quondam beatissimo patri Abrahe immutabili firmitate promissa successio non carnis semine sed fidei fecunditate generanda; et ideo stellarum multitudini comparata, ut ab omnium gentium patre non terrena sed celestis progenies speraretur. Ad credendum ergo promisse posteritatis heredes in sideribus designati ortu novi sideris excitantur, ut in quo celum est adhibitum in testimonium celi famuletur obsequium.

Omel.

Criso. Quoniam autem non celestium una stellarum hec fuit manifestum est. Nulla enim alia stellarum hac via incedit. Hec enim ab arcto in meridiem ferebatur; ita enim Palestina ad Persidem iacet. Secundo a tempore hoc est manifestum. Non enim in nocte apparet tantum sed in media die, quod non est virtutis stelle, sed neque etiam lune. Tertio ab eo quod apparebat et occultabatur rursus. Cum enim intraverunt Ierusalem occultavit se ipsam. Deinde ubi Herodem dereliquerunt se ipsam monstravit. Neque etiam proprium quendam gressum habebat, sed cum oportebat ire magos ibat, quando autem stare oportebat stabat, sicut et columna nubis erat in deserto. Neque etiam sursum manens partum virginis demonstrabat, sed deorsum descendens hoc faciebat, quod non est stelle motus sed virtutis cuiusdam rationalis. Unde videtur hec stella non tantum invisibilis fuisse virtutis in talem apparentiam formata.

Et hoc. Remig. Nonnulli dicunt hanc stellam fuisse spiritum sanctum, ut ipse qui postea super baptizatum dominum descendit in specie columbe ipse apparuit magis. Alii dicunt fuisse angelum, ut ipse qui apparuit pastoribus apparuit et magis.

Glo. Sequitur *in oriente*. Utrum stella in oriente orta sit, an ipsi ibi positi natam ad occidentem viderunt ambiguum est. Potuit enim nasci in oriente et eos in Ierusalem perducere.

In ser. de epiph.

Aug. Sed dicturus es: a quibus, a quibus audierunt quod talis stella Christum natum significaret? Profecto ab angelis aliquo monitu revelationis. Queris fortassis: ab angelis bonis an malis? Christum quidem et angeli mali, hoc est demones, filium dei esse confessi sunt. Sed cur non et a bonis audierint, quando in Christo adorando salus eorum iam querebatur, non iniquitas damnabatur? Potuerunt ergo illis angeli dicere: stella quam vidistis Christi est. Ite adorate illum ubi natus est, et simul indicare quis et quantus esset natus.

In ser. de epiph.

Leo papa. Ut preter illam stelle speciem que corporeum incitavit obtutum fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, et hoc quod ad illuminationem fidei pertinebat.

l. de q. no. et no. t.

Aug. Vel inde regem natum legere intellexerunt, cum stella indice temporalis rex soleat designari. Hii enim magi Caldei non malivolentia astrorum cursum sed rerum curiositate spectabant. Sicut enim datur intelligi traditionem Balaam sequebantur, qui dixit: Orietur stella ex Iacob. Unde videntes stellam exordi-